

CHR. FUNCKI M,

Freib.

COMMENTATIO

De

NUPTIIS,

Ad

VIRUM CL.

DN. M. NICOLAUM GREFIUM

Amicum,

CAJUM

Cum Lectissimâ

CAJA HORNIANA

Nuptias auspiciatas cele-
brantem,

ANNO M DC LIII.

XIII. Sept.

TPIS BEUTHERIANIS.

Hist. miscell.

A. 278,10

EKKOPI KOPI KOPΩNH!

DE NUPTIIS.

SUMMARIUM.

Nuptiarum origo. Quæstio Politica præmittitur. Ejusdem decisio ex Cermenato. Exemplo res declaratur. Nuptiarum causæ. Cælibes odio habiti. Sabæorum bigamia. Conjugalis amor à parte uxoris apud Romanos in excessu peccans. Indiæ ac Thraciæ foeminis unicum votum cum marito comburi. Mos apud Herulos. Nuptiarum etymon. Neptuni etymon. In Cicerone divinatio. Sponsarum flammeum. Hujus prima detectio. Descriptio. Cur id lutei coloris. Flammei omen. Festus notatur. Zona. Zonam solvere. Scaliger notatur. Zonæ color apud Edumæos. Nubere, Nuptiæ, Nuptias agere, Nuptias facere. Nupturire. Nuptiarum apud Romanos contrahendarum tres modi. Usucapio. Confusio. Confarreatio. Placentæ Nuptiales ex Sesamo. Sesami usus apud Veteres. Coemptio. Nuptiarum definitio. De Polygamia Patrum quid statuendum. Act. XIII. v. 18. explicatur. Circumstantia temporis Nuptialis καὶ ἄρσιν. Dies atri. Eorundem duo genera ex Seldeno. Circumstantia temporis Nuptialis καὶ θεσιν. Græcorum Γαμηλία. Ea duplex, & quibus Diis unaquæque facta. Circumstantia loci. Nymphæa. Oenoptæ. Gynæcomi. Locus Nuptialis apud Romanos. Fescennina licentia. Ex dictis duo constare asseritur. Applicatio. Δῶρα ἐπάυλια votiva. Alcedonis fidelitas. Columbæ foecunditas. Cornicis unanimitas. Græcorum illud, ἐκκοεὶ κοεὶ κορώνη. Concluditur.

Quid



Vid primò compulerit familiarum Principes, quos natura parentes fecerat, ut sociarent se invicem æqualiter, cumque suis conjunctius viverent, *in diversa Politicos abire vides, VIR C L. Collega amiciſſime, ſi ad eorundem Scripta Te confers evolventa.* Omnem quidem rem Joh. Strauch. in Diſc. Polit. de Orig. Imper. Aph. IX. revocat ad aptitudinem moralem, ac ſtatuit, cauſam in ſocietatem coëundi civilẽ, & conſequenter æqualitatem inter ſe quãdam parandi, eſſe potuiſſe tum vim potentioris; tum inſtinctum ζωὸς πολιτικῆς; tum deniq; indigentiam humanam. Sed æqualitatem, quæ homines ad concordiam maximè hortatur, firmiſſimumq; ordinandæ civitatis vinculum habetur, nuſquam & nunquam meliùs inductam fuiſſe, quàm N U P T I A R I U M legitimo contractu, docet P. Cermenatus Rapsod. de rectâ Regn. & Rerum publ. adminiſtr. c. XXXVIII. Et hanc æqualitatem videmus etiam apud barbaras nationes & immanes omninò gentes curari: Rex enim Calicut, Samory incolis, i. e. ſummus Imperator ac Deus in terris juxta Cluver. l. V. Introd. Geograph. c. IX. ab incolis dictus, matrimonia Nuptiasq; apud ſuos edicit, & ipſe uxori ductæ non priùs concumbit, quàm dignior Sacerdotum cum eâ cubuerit, ut hac ratione oſtendat, non tam voluptatis cauſa, quàm retinendæ civilis conſuetudinis ad nuptias ſe conſolare, quod refert Ludovic. Patri. Rom. Navigat. l. V. c. IV. Quinimò, qui Rempubl. ordinarunt, nuptias introduxiſſe ex Xenoph. L. de Lacedæm. Republ. conſtat, qui Lycurgum eâ de cauſâ commendat, quòd rationem matrimoniorum habuerit, ut patria ſua ceteris felicitate præſtaret: juſſit quippe ἐν ἀκμαῖς τῶν ſωμάτων τὰς γάμους ποιῆσαι, καὶ τὸ τοῦ Φοργὸν τῆ ἐυγονίᾳ νομίζων. Duplicem igitur contrahendarum Nuptiarum cauſam conſtituit Dempſt. in Paralip. ad Roſ. Antiqv. Rom. l. V. c. XXXVII. Una eſt, ut liberi legitimo concubitu proprioq; ſanguine generarentur, qui heredes familia eſſent.

Quare &, qui impotentes naturaliter erant aut frigidi, quique
alia qualibet de causa liberos suscipere non poterant ex uxori-
bus, eas aliis utendas tradebant, ex eorum concubitu natos in speciem
familiarum suarum educabant, quod de Saracenis extat apud
Cæl. Rhodig. l. XV. Antiqu. LL. c. XVII. Proindeque cælibes
apud Lacedæmonios tanto habebantur odio, ut femine quoque
certo festo annuo viros cælibes, circum aram tractos, colapibus
caderent, hacque contumeliâ ad uxorem ducendam compellerent,
quod ex Athen. enarrat Jo. Meurs. l. V. Græc. Feriatae sub tit.
εορτή Λακεδαιμ. Hinc quoque est, quod Græci cælibes qui imperfe-
ctionis arguant, dum nuptos vocant Τελείους, quod humane vite
perpetuatio nuptiarum merito perficiatur, quâ de causa & Sa-
beos non concessisse Nuptias, nisi ad propagationem sobolis, refert
Hotting. l. I. Hist. Orient. c. VIII. ex Muhammed. Ben Isa-
ak peculiari de Sabæorum Sacris Scripto Arabico, cujus verba
sunt *לא יגמע בין אמתתין ורין יטחון אלה לטלב אלוהר*
nec concedunt bigamiam, nec conjugalem consuetudinem,
nisi ad propagationem sobolis. Altera non minus potens
causa est, ut societas individua mutuusque civium amor nuptiali
hac concordia firmaretur; usque adeo, ut cum uxores maritos
extinctos vidissent, probrosum quondam sibi superesse duxerint.
Ideo plerumque custodiebantur, ne se rogo pro animi impotentia
injicerent, referente Jo. Kirchn. l. III. de Fun. Rom. c. IV.
Seneca enim testis est l. XI. Declam. XI. quasdam uxores rogis
ardentibus maritorum se miscuisse. Pro nimio scilicet amore, quo defun-
ctos maritos prosequerentur, in rogam se projiciebant, atque spon-
taneo vivi-comburio vitam finire non recusabant, id quod Cic.
V. Tusc. de Indiciis mulieribus annotare non neglexit. Mulieres,
ait, in India, cum est cujusque earum vir mortuus, in certa-
men judiciumque veniunt, quamplurimum ille dilexerit.
Plures enim singulis solent esse nuptæ, quæ est victrix, ea læta,
prosequentibus suis, unâ cum viro in rogam imponitur: illa
victa

victa mœsta discedit. *At sorte illud certamen fuisse diremptum*
Ælian. l. VII. Var. c. XII. testatur præter Strab. l. XV. Valer. Max.
l. II. c. I. Euseb. l. VI. præparat. Evang. c. VI. Eundem morem
Thracibus quoque assignat Pompon. Mela l. II. de Situ Orb. c. II.
Et Solin. c. XVII. Uxoribus numero quippe se Thraces jactabant,
Et honoris loco multiplex ducebant conjugium, Et famina, que
tenaces erant pudicitie, defunctorum insiliebant conjugum ro-
gos, Et, quod maximum insigne ducebant castitatis, precipites in
flamas ibant. Sed apud Herulos uxores, maritis mortuis, laqueo
sepe statim juxta sepulcrum solebant inducere, nisi infamiam notam
vellent subire, Autore Procop. l. II. de bello Goth. Ex hæcenus
dictis sanè cum Hierocle rectissime concludo, primam precipu-
amque societatem per nuptias iniri, quin imò civitatem salvam
esse sine matrimoniorum frequentia non posse, quod Metell. Nu-
midic. facile Et procliviter persuasit apud Agell. l. I. Noct.
Attic. c. VI. Et Nuptie quidem juxta Isid. l. IX. Etymol. c. VII.
dictæ sunt à nubendo vel obnubendo, quod est velare Et ope-
rire proprie, quod cum nova nupta primum capita sua obnube-
rent; haut secus ac Neptunus dicitur quasi Nuptunus, quod
mare terrasque obnubat, Cic. l. II. de Nat. Deor. Ut à portu Portu-
nus, sic Neptunus à nando, prioribus literis paullum immu-
tatis. Quem locum corruptum restituit Just. Lips. l. I. Saturnal.
Serm. c. II. legitque, à nubendo vel nuptu. Res quippe Et Cicero
ipse auctor est, qui comparat Neptuni Etymon cum Portuni.
Nuptie igitur, ut dictum, ab obnubendo sunt: Veteres enim ca-
put Et faciem Sponsa operiebant velo, quod Græcis ἐαυὸς Et κα-
λόπτειρα, Latinis flammeum dicebatur, ne à quoquam prius quam
à marito videretur nova nupta, neve pudicitia pollueretur
aspectu. Et ita ad lectum à θυγαυυφίαις aut υιοίς τε Νυμφῶν Et
filiis thalami (Matth. IX. v. 15. Metonymia Ebr. familiari sic
dictis, quos sodales Et maxime familiares sponsus admittibat in
suum usque thalamum, ut exponit Abr. Scultet. Exercit. Evang.

l. II. c. LII.) *deducta, detegebatur à Sponso, à quo etiam eius de-
tectionis causâ capiebat munera, quæ iccirco ἀνακαλυπτήρια, &
quia tunc ab eo quasi primum videretur, ὀπτήρια, &, quod eam
alloqueretur, περὶ φθεντήρια etiam dicta sunt, recitante Alber-
rico Gentil. Lect. Virgil. ad Rob. fil. c. XV. p. 142. hæc singula ex
Scaligero. Sed ad flammeum redeam; illud quippe sic describit
Casp. Barth. in Animadvers. ad Cl. Claud. in Nupt. Honor.
Epith. Od. IV. p. 787. Flammeum est genus pepli aut vela-
menti, novis nuptis faciei velandæ luteo colore facti, illiga-
tiqve, ne pudor & lacrymæ viderentur. Quas tamen ipsa flam-
mea prodere innuit Claudianus. nimia significans:*

*Jam produnt lacrymas flammea simplices.
Lutei coloris fuisse flammea prodit Barthius, sc. ut ne pudor vir-
ginis proderetur, aut, si quid animadverteret in facie rubo-
ris, is è velo color, non è genis, emicare putaretur, quam causam
tradit Scalig. l. III. de Re Poët. c. CX. Sic enim Claudian. meus
l. II. de Raptu Proserp.*

*Et sparsos religant crines, & vultibus addunt
Flammea, sollicitum prævelatura pudorem.
Quin imò lutea flammea ominis boni habitafuisse causam, Ec-
stus aperit. Flammeo, ait, amicitur nubens, ominis boni cau-
sâ, quod eo assiduè utebatur flaminica i. e. flaminis uxor,
cui non licebat facere divortium. quod quidem glossema subo-
let Bernart. in Schol. ad l. II Theb. Stat. Papin. ad v. 341. p. 100.
quum Juven. de muliere, quæ à marito diverterat, Sat. VI. canat:*

*Permutatque domos & flammea conterit --
Flammeis hisce accedebat Zona seu cingulum laneum, quo vir-
ginalis novæ nuptæ venter, pro pudicitia custodiâ, cinctus ser-
vabatur, quodq; Herculano nodo vinctum, vir in lecto solvebat,
itidem ominis boni causâ, ut sic felix esset in suscipiendis liberis,
atq; Hercules fuit, qui septuaginta reliquit, quod clarè explica-
tum à Scholiaste in Æschyl. corroborat Jo. Beverov. Epist.
qv. V.*

qv. V. p. 40. qvi se eundem loqvendi modum apud Græcos qvō-
 que invenisse proficetur de primūm parientibus, qvæ Zonam
 solvere dicantur. Testem Scholiasten Apollon. Argon. pro-
 ducit, qvi hac annotavit: Λύσει τὰς ζώνας πρῶτως τιτθεσαι καὶ
 ἀνατιθέασιν, Ἀρτέμιδι ὄθεν καὶ λυσιζώνης Ἀρτέμιδι ὅθεν ἐν Ἀθή-
 ναις Quem locum an jure sollicitet Scalig. pro πρῶτως τιτθεσαι
 legens Ἀγαπαρθεν ὁθεσαι dubitat Balch. Lyd. in resp. ad Epist.
 qv. V. Beverov. p. 56 cum ὁ Callimacho λυειν ζώνην parere sit,
 ὁ Evadnen deposita Zonā infantem peperisse canat Pind. O-
 lymp. od. VI. Hujusmodi Zonas seu perizomata apud Edume-
 os colorem rubeum ornasse ex Lamico Pœnate Abn Ismaël To-
 grai Arabico v. 18. pronunciat Th. Barthol. de Luce Animal.
 l. I. c. XVII. Nam לללהל de cinctu intelligendum monet Lexico-
 graphus Arabs, ab origine לה qvæ rei strictæ notat solutionem.
 Qvam veritatem firmat constans in Arabiâ longo seculorum
 tractu mos servatus, qvō etiamnum feminae tenis serici rubri
 intextu variegatis ὁ mitras alligant ὁ pectus angustant.
 Quoniam itaq; Sponse, dum viro Zonis cincta tradebantur, nu-
 bere. h. e. velare capita, consueverant, evenit usu, ut nubere sit
 viro tradi, nuptiæ sint maris ὁ fœminæ conjunctio, qvā qvādam
 ὁ similiter apud scriptores Nuptiæ, Nuptias facere, Nuptias
 agere, Nubere pro ipso συνστασµῶ s. consuetudine Venereâ, ὁ
 qvandoq; de execrando naturæ abusu usurpentur, qvōd Dan.
 Fels. l. II. Advers. Sacr. c. XXI. variorum comprobat consensu
 Autorum. Hinc ὁ nupturire inter verba neqvā habetur à
 Casp. Barth. l. XLIV. Advers. c. XXVII. qvi minùs ineptè atq;
 indignè id dictum arbitratur de anu usq; ad eò decrepitâ, ut hu-
 mani jam ferè nihil patiatur: Ut enim fœminarum aliæ gau-
 dent nubere; ita hæc qvæ jam nubere non poterat gaudebat sal-
 tim nupturire i. e. lascivire, ipso affectu effectum sibi imaginata.
 Sed qvicquid horum fuerit, non prætereundum tamen hic esse
 duco, Romanos nuptias suas, qvas legitimas habebant, tribus con-
 traxisse

traxisse

eraxisse modis, hac quidem conditione supposita, ut non nisi Romanus Romanam duceret, autore Alex. ab Alex. l. II. Gen. Dier. c. V. Prior modus erat ulucapio, quâ suâsu tutorum mulier in matrimonium conveniebat, cumq; viro, ut justo marito, adeo consuescebat, ut si usus ejus non intra annum interrumpere, pro usu capta haberetur i. e. viro mancipata ex Leg. XII. Tab. Et hunc modum antiquissimum fuisse ag. raptu illo Sabinarum virginum initium sumsisse arbitratur Jac. Rævard. in Comment. XII. Tab. c. XXI. suâsu quidem Consi, Dei consilii, urgente, à quo Romulum opem consiliūq; in difficultate conjugiorum petuisse scribit. Onuphr. Panvin. l. I. de Lud. Circens. c. III. Et cui postea in Circo, ubi Ludi Consuales edebantur, sub terrâ juxta primas metas ara dicata fuit hac cum inscriptione:

CONSUS, CONSILIO
MARS, DUELLO
LARES, COMITIO
POTENTES.

Alter modus erat confarreatio, quâ per Pontificem Max. & Dialem flammīnem, farre i. e. frugibus & molâ salsâ intervenientibus, conjungebantur nupturi, sellis quidem duabus jugatis cum superinjecta ovili pelle (ejus scil. ovis, quæ hostia erat) appositis, ibiq; nupturis velato capite residentibus, quod colligo ex fragment. Servii à Pythæo excerptis, & ex Ulpiani, Tit. X. Instir. ubi ait: Farre convenitur in manum certis verbis & testibus decem præsentibus, & solemnī sacrificio factō, in quo panis quoque farreus adhibetur. In sacris etenim nihil religiosius confarreationis vinculo fuisse, ac evenisse, ut non solum Flamen nasceretur confarreatis parentibus, sed ipse cum Flaminica farre jungeretur, differit Just. Lips. in Comment. ad l. IV. Annal. Tac. p. 211. Ejusdem ferè religionis apud Græcos erat conventio, quâ Sponsus & Sponsa particulam panis ex Sesamo cœli gustare tenebantur: Ex Sesamo enim panes & placenta

Nupti-

nuptiales fiebant, quas dari moris erat in nuptiis propter fecunditatem, cum Sesamius πολύγονος, & ut ait Theophrastus, λιπαρός crederetur. Sanè Sponsi foliis Sesami, papaveris atq; fisymbrii solebant coronari; & Syracusis ex Sesamo ac melle ἐφῆβαια Eugia muliebria fiebant, quorum ex Hesychio, Varino & Polluce cum Victor l. XXV. Var. LL. c. X. meminit Paulus Leopard. l. VII. Emendat. c. VI. quin imò apud veteres nihil mellitum dulceg, erat, quod non Sesamo sparsum & papavere, prout eruditè commentatur Q. Seprim. Florens in Comment. Glossem. ad Aristoph. Iren. p. 97. Tertius modus est Coemptio, quâ uxor certis conceptis verbis in filia locum, maritus in patris veniebat, uxor quidem sub titulo Matrisfamilias, maritus verò sub titulo Patrisfamilias, hacq; ratione, ut, si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis alteri faceret. Hos Nuptiarum contrahendarum distinctos modos excipit Definitio, quæ talis est: Nuptiæ sunt viri ac faminae conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens. Maris & feminae, inquam, numero binorum, conjunctio sunt Nuptiæ; Pagani quippe & ipsi ex lumine naturali dualitatem in conjugio ratam habebant, ut mirandum mihi sit, cur tot sancti Viri & Patriarcha Polygamiâ se oblectarint, Deusq; eam permiserit? Memini quidem, Patriarchas quondam in Collegio quodam privato excusasse quodammodo Insignem quendam Theologum, distinguendo inter Polygamiâ in se consideratam, & prout à Patribus adhibita fuit: prout in se spectetur, concessit esse peccatum, derogans institutioni primæve, sed prout à Patribus adhibita fuerit pro tunc & nunc, non fuisse peccatum statuit, quum Patres finaliter in eâ perseverarint: ideoq; Deum in hoc etiam dispensasse, ajebat, contra legem primitivam, quam ipse quidem posuerit in natura, sed reservatâ dispensatione, quæ, licet non scripta, tamen ex eventu cognoscatur. Memini quoq; quid respondeat Wilhelm. Schick. de Jur. Reg. Ebr. c. III. Theor. IX tolerasse scil. Deum hunc excessum in Patribus, ut prolem multiplicarent, in Regibus, ne scortationis & adulterii occasio-

nem quærent. At contentus vivo responso Magni Hülse-
manni, quod mihi suggeris Breviar. Theolog. Extens. c. XXI. Th.
VIII. Patriarcharum nimirum Polygamiam toleratam fuisse à
Deo tanquam nevũ, ortum ex ignorantia termini & Zelo matu-
randa natiuitatis Messie, cuiusmodi plura decrant perfectioni
illius ætatis, ut patet ex Act. XIII. v. 18. Hos Deus in Egypto φόνου το-
leravit, quemadmodum repudium ἐπιτέρευεν permisit Matt. XIX.
v. 8. ἐπιτέρευεν autem b. l. non significare ostendit D. Hülsem.
tolerantiam & impunitatẽ fontium, posito flagitio vel delicto, sed
significare tolerantiam & dispensationem circa factum ipsum, de
quo in abstracto quæstio movebatur. Circumstantia restant tem-
poris & loci; Temporis quidẽ, quia summa cura habebatur, ne tem-
pore aliquo malè ominato celebrarentur Nuptia. Ut igitur taceã
Mensem Majum, quo veteres non nubebant, tum quia mense isto
maximam peragebant expiationem, tum quia multi Latinorum
isto mense parentabant mortuis, quas causas aperit Plutarch. Qv.
Rom. LXXXVI. Ut taceam Ianuarium, qui itidem ater erat nu-
bentibus, quia feralia eo mense fiebant; ut taceam festos dies,
quibus neq; licitum erat nubere, quia bis vim cuiq; inferre piacul-
lare erat, vis autem fieri in Nuptiis virginibus videbatur, Ma-
crob. iudice l. i. Saturn. c. xv. Ut taceam hac singula, posterò
quodq; die à Nonis, Idibus, Calendis uxorem ducere Romanis non
licuisse, sed eosdem decreto Pontificum velut tristi omine infam-
mes & detestabiles fuisse autor est Alex. ab Alex. l. ii. Gen. Dier.
c. v. quippe quibus graviter afflictã & in extremum discrimen
res Romana adducta erat. Et ideo ab ominis diritate atros voca-
bant, sed imperitè dici nefastos ait Agell. l. v. Noct. Attic. c.
xvii. alii ad molliendam vocabuli diritatem communes dix-
erunt. Cal. Rodigin. l. viii. Antiqu. LL. c. ix. à plebeis deluxato
verbo Ægyptiacos nuncupari, differit, ab Ægypti vanitate pro-
clinato vocabulo. At dies atros Romanorum ab Ægyptiacis mul-
tùm differre, constat ex dictis, qua suppediat Ol. Worm. l. i.
Fast. Danic. c. xxii. eosq; duplicis generis fuisse, docet Selden. l.

III. de Jur. Natur. & Gent. c. XVII. Unum genus quod ipse eorum
 erat, quod ex autoritate publica s. instituto civili infausi ac atris
 habebantur: alterum, quod saltem ex privatorum hominum opi-
 nione, observatione, aut secretiori disciplina sic habitum. Au-
 spicatissimum igitur & aptissimum tempus nubendi credeba-
 tur, quod Idus Junias sequebatur. Aptum quoque erat Græcis ple-
 nilunium, quod inde boni ominis nonnihil ex plenâ Lune facie
 auspiciantur. Hoc tempus nuptiis faciendis aptum ταμηλία
 precedebat, quod duplicem constituit Joh. Meurs. l. III. Attic.
 LL. c. I. unam, quæ à parentibus fiebat, cum filias elocarent, nempe
 ut felices haberent Nuptias: alteram, quæ ab ipsis Sponsis pro libe-
 rorum susceptione fiebat. Prior fiebat Junoni, Veneri, ac Gra-
 siis: altera Cotto, Gygi ac Briareo, vel, ut alii volunt, Amalcida,
 Proctli, & Procleonti, qui Τεμποπάρχοες indigitabantur. Ad lo-
 eum jam devenio, quem assignare paucissimis necessitas exigit. Et
 quidē apud Græcos Nymphae Nuptiis faciendis sacra erant, con-
 vivisq. opta: Georg. Cedren. enim cum Zonara Tom. III. aper-
 tē attestatur, Nuptias in iis eorum celebratas fuisse, qui adibus
 carerent, videlicet procurantibus tum Oenoptis, qui apud Athe-
 niens. observabant, quæ fiebant in Cœnis ac epulis publicis, an con-
 viva inbibendo servarent æqualitatem, quod munus ex Athen. l.
 IV. & X. describit Is. Casaub. Exercit. XIX. ad Annal. Baron. ad
 Ann. XXXI Num. XXXI. Tum Gynæconomis, qui una cum Are-
 opagitis conventus in Nuptiis & Sacrificiis curabant, ut ex A-
 then. refert Joh. Meurs. in Areopago c. IX. p. 73. Apud Roma-
 nos Nuptiæ fiebant in fœceri adibus, quod & transibat Sponsus, si
 Sponsa esset virgo, ad paratum thalamum profundâ jam nocte:
 Sed vidua ad Sponsum ducebatur, præmissâ fescenninâ licentiâ
 cum obscœnis dictis & canticis, cujus licentiæ summariam re-
 censionem habet Conrad. Rittershus. l. IV. LL. Sacr. c. XIV. &
 gravissimam censuram Chrysoft. super hac re ex Homil. XII. in
 I. ad Cor. subiungit. Ex hæcenus dictis sanè duo perspicimus, &
 detestandam gentilium superstitionem, & laudandam matrimo-

nii apud ipsos reverentiam, quam, ex jure naturali haustam, saram tectamq, habere voluerunt. Quanto magis igitur nos Christiani legitimarum nuptiarum honestiq, matrimonii rationem habere debemus, qui praeter legem naturae expressam divinam institutionem ex Sacris Litteris cognoscimus. Hujus conjugalis ordinis cum & Tu, qui Christiano gaudes titulo, Vir Cl. reverentiam exhibueris, non miror, quod Junonem Zygiam, ἀπὸ τῆς Ζεγυῦναι τὸ ἡλυτῶ ἀρρενι Th. Reines. l. III. Var. LL. c. XV. dictam, ambire, uxoremq, Zygio foedere tibi jungere anheles, sed utroq, potius pollice Tibi applaudo, meaq, δωρεῶν ἐπάυλια votiva offero. Offero, inquam, **ALCEDONIS FIDELITATEM**: Neuter enim harum avicularum alterum deserit, imò masculum senem ad fluenta feminam perducere docet Majol. Tom. I. Canicul. Colloqv. VI. Offero **COLUMBAE FOECUNDITATEM**, qua ave nihil foecundius habetur apud Ravil. in Officin. unde & factum arbitror, quod genus hoc volucrum sacrum sanctumq, reputatum sit à nonnullis gentibus, quod de Syris concedit Xenoph. Anab. I. ejus rei quidem causam Poeticam offert Higin, Fab. CXC VII. Offero **CORNICIS UNANIMITATEM**: ob perpetuam enim harum avicularum concordiam Gracos in Nuptiis ἀγνοῦντας verbum illud ἐκκοεῖ usurpare solitos fuisse Horapollo statuit l. I. Hierogl. c. VIII. nimirum κοεῖ cornicem appellantes. Sunt quidem nonnulli, qui, has duas dictiones ἐκκοεῖ κοεῖ jungentes, Latine vertunt, orna cornicem b. e. pudicitiam, cum ἐκκοεῶ Gracis saepe sit orno, unde Imper. ἐκκοεῖ. Sed Jo. Mercer. in Obs. ad Horap. simpliciter ἐκκοεῖ verbum esse putat, quò Graci perpetuam concordiam in nuptiarum festivitate optarint conjugibus, ac integrè acclamarint, ἐκκοεῖ κοεῖ κοεῶν, ejus tamen rationem acclamationis ignorantes. Paucis, offero & voveo vobis novis Nuptis purpureum amorem, amicum candorem, candidum favorem, hisq, votis & oblatis nihil restare video, nisi illud tritum

MANUM DE TABULA